

He adds, that from *Mastricht* also 'twas written, that with the same liquor the blood of a leg had been stopp'd, the half of which had been carry'd away by a Canon-bullet.

Illustrissimi *Slusii* modus, quo demonstrat Methodum suam ducendi Tangentes ad quaelibet Curvas absq; calculo, antehac traditam in horum Actorum N<sup>o</sup>. 90.

— **D**E *Clar. Viri . . . . .* Methodo nihil aliud dicere possum, nisi mihi videri meam esse, quâ nempe tot ante annos usus sum, & cujus ope flexus Curvarum contrarios ac Problematum limites ostendi tum in *Miscellaneis meis*, tum etiam in literis, si rectè memini, olim ad te datis. Quâ viâ in illam inciderit, & quomodo illam demonstrat vir doctissimus, ab ipso intelligere poteris: Ego sanè paucis, ut aliàs ad Te scripsi, & vulgò notis, Lemmatibus rem absolvo; atque, ut candidè Tecum agam, ecce ipsa Lemmata;

1. Differentia duarum dignitatum ejusdem gradûs applicata ad differentiam laterum, dat partes singulares gradûs inferioris ex binomio laterum; Ut  $y^3 - x^3 = yy^2 + yx^2 + xx^2$ . Legitur hoc apud plerosque & faciè ostenditur.

2. Tot sunt partes singulares ex binomio in gradu quolibet, quot unitates habet Exponens dignitatis immediatè superioris; tres nimirum in Quadrato, quatuor in Cubo, &c. Et hoc vulgò notum.

3. Si quantitas eadem applicetur ad duas alias, quarum ratio data sit, Quotientes erunt reciproci in eadem ratione data, Quod quidem evidens est vel cuilibet *Arithmeticæ* candidato.

His Lemmatibus methodus mea demonstratur: Nee multum temporis Tibi erit impendendum, ut demonstrationem ex illis concinnes, cum eo ordine à me disposita sint, qui ad illum quasi manum ducit. Plura scribere me vetat temporis brevitatis, Vale, meque ut soles ama, Dabam Leodii 3. Maii 1673.